Quaestio medica Quodlib. Disputatoibus agitanda in Scholis Medicorum die Jovis 9a novembris.

M. Nicolao Le Tellier Moderatore. 7°

An triplicis substantiae partis similaris morbus curari potest?

Omnium genitorum prima constitutio ex elementis proficiscitur, partiumque similarium ab ipsis temperamentis, non ab humoribus est petendum. pars similaris cum ex triplici substantia sit condita triplicis substantiae temperamentum retinebit, donec praecipitatae senectutis vi per ea dissolvatur ex quorum temperie confecta est, elementa. triplicis huius substantiae solidam praecipuae obtinere partes dicimus, sed quae tota a semine et spermate insiti humidique primigenii sit fundamentum; et qua dissoluta, tanquam materia rerum substantiae ... omnis putredinem. ex semine tanquam ex divinior principio propria cuiusque rei essentia atque ratio quae ipsissima est, quod esse dicitur, tum spiritus et facultates oriuntur non ab ipsis elementis.

Solidae substantiae humor triplex cum sit humidum primigenium tum caloris nativi tum spiritus vera sedes materia et fundamentum; alimentarius humor quia primigenii humoris tum a nativo calore dum... depascente, tum ab externo perpetua sit deperditio similaris partis substantiam suo humore tanquam rore benigno conspergit et madefacit, sed deperditi vel absumpti humidi primigenii novum pabulum subministrat. Nisi externum illud accederet humidum, quantumvis solidae sit, et sagax natura funditus insita vis illa humidi primigenii contabesceret, nec semina sua per aliquam vitam reconderet.

Humoris primigenii quo maior copia eo caloris innati substantia post copiosior, quo fit ut infantium aetas omnium si quas finis, temperatissima existat. unde hominem primo calidissimum (vel potius humidissimum) postrema vitae suae die frigidissimum (vel etiam siccissimum) appellabat Hippocrates. aetatum temperamenta quatuor anni temporibus accomodabimus. Infantium aetas quae hyemis parti postremae, ac ipsi veris crepusculo comparari potest, substantiam temperatam obtinet. Juvenes sive florentes, venusti, agiles et fervore existunt, et aestati assentiunt nimis sunt calidi. aetas media autumno proportione respondens, quae constans et matura dicitur, in qua sive membris summum robur inest, praecedentium collatione intemperatior existit. Senectutem primam quae autumni fini assimilatur frigidiorem esse, decrepitam quae ei succedit hyemis ingressum significans intemperatissimam, frigidissimam, et siccissimam omnibus propalam esse ~~esse~~ potest.

Triplici posita substantia quae unaquaeque pars similaris constituatur, atque consideratur tria quoque sint necesse est per quae bene vel male subsistat sive partis similaris sanitatem ista et morbum per tribus constituemus, tria deinde morborum similarium genera, materiae immoderatio, intemperies tum simplex tum composita, totius substantiae morbus, qui alias manifestus est (vel potius qui a causis externis procedit) alias occultus, cuius adeo abstrusa et ~~occulta~~ abdita est causa sed ultra ipsorum elementorum naturam omnino statuatur.

Ad quorum partis similaris morborum curationem qualeunque hominum arte et industria excogitari potuerunt idonea morbis curandis medicamenta ex quatuor primarum, secundarum, aut tertiarum qualitatum penu depromenda sunt. primas medicamentorum qualitates cum ex elementorum mixtione et qualitatum simplicium temperamento proficiscantur, morbis ab intemperie ortis conferunt, ac eosdem profligabunt. secundas deinde qualitates cum ex temperamenti materia sive qualitatis primae vi profusae sustineantur, morbos qui materiae immoderationi adscribuntur propulsabunt, ac expellent. tertias vero facultates a tota rei substantia cum proficiscantur merito totius substantiae morbis qui nobis conspicui sunt et quorum ratio habetur antipharmacis, et iis plane quae totam substantiam immutant contrariis et manifestis a 3a illa classe desumptis oppugnabimus; occultis vero si quae ex manifestorum medicamentorum sylva depromsserimus medicamenta nihil profuerint ad illa quae occulta agunt vi, et sensus humanos fugiunt (vel potius quae nec sapore, odore, tactu, nec sensu ullo denique nosci, aut discerni possunt, sed sola experientia, et diligenti rerum observatione cognoscuntur) confugiendum.

Ergo triplicis substantiae partis similaris morbus curari potest.

Proponebat Lutetiae M. Esayas Fabius Claromontanus Bellonacus A. M.D.LXX.

Domini Doctores Disputaturi

M. Michael Marescot. M. Nicolaus le Gros. M. Nicolaus Jacqueau

M. Philibertus Saudenot M. Guillelmus la Barre M. Robertus Greaume

M. Guillelmus Cappel. M. Joannes de Verneuil. M. Joannes Huguet.